



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CCXVII. De Expugnatione Castri Lethoviae dicti Bisene.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

*Burchardus de Schwenden IX. Mag. Gen. Ord. Teut.*  
*Conradus à Tierberg Junior XII. Mag. Prov. in Prussia.*

ANIMADVERSIONES.

AD CAP. CCXVI.

- (a) Codex Regiomontanus habet LXXX. sed perperam. Restituimus itaque locum ex Jeroschino, qui annos 53. habet. Videlicet pacta cum Ordine Teutonico inita sunt Anno 1226. Bella verò Prussica gerere cœpit Ordo Teutonicus anno 1230. continuaritque usque ad An. 1283.
- (b) Bellum Lithvanis illatum fuit ob auxilia Prussis contra Ordinem creberrimè missa, præsertim Pelusâ (ut Cojalovvicius putat) Crucigeros ad bellum inflammante. Alb. Wijuk Kajolavvicz *part. I. Hist. Litv. lib. VI. p. 184.* Gestum est illud bellum ultra centum annos. Winricus à Kniprode Magister Generalis Annales recensendo suo jam tempore deprehendit, bellum cum Samogitis 85. annos gestum fuisse: in acie occumbentibus Christianis ex Crucigeris fratribus nobili profapia oriundis 49. ex illustribus familiis 28. ex Ordine Civico 4000. ex nobilibus familiis 11000. ex gregariis militibus 8000. ex Advenis & Hospitibus 15000. Ex Rusticis partim, interfectis partim in captivitatem abductis 168000. *Vid. Cælestinus Mislenta in Præfat. ad Manuale Pruthenicum.*

CAP. CCXVII.

De

*Expugnatione Castri Lethovix dicti Bisene.*

FRATER Conradus de Tierberg Magister terræ Pruschia prædictus, & multi fratres cum magno Exercitu tempore Hyemali transierunt glaciem Memelæ, & intrantes terram Lethovix castrum dictum Bisenam à mane usque ad Meridiem fortiter impugnaverunt, tamque infesti erant in dicta impugnatione, quod occisis multis de castro & lethaliter vulneratis tandem poten-

P p a

ter

*Burchardus de Schwenden IX. Mag. Gen. Ord. Teuton.*

*Conradus à Tierberg Junior XII. Mag. in Prussia Provinc.*

ter intraverunt, quibusdam captis, aliis trucidatis, in cinerem redegerunt; Reliqua pars exercitus intravit dicti Castri territorium & post magnum Incendium cum maximo spolio est reversa. In hac impugnatione plures Christiani sunt graviter vulnerati, & IV. fratres & unus famulus cum equis & armis in Memela submersi propter teneritudinem glaciei.

## CAP. CCLXVIII.

De

### *Destructione Castri Garthe.*

**A**nno Domini MCCLXXXIV. idem Magister nec dum bello infidelium fatiatus, congregavit validum exercitum, & cum Scumando ductore processit contra castrum (a) Gartham, tempore æstivo & dum transivisset Memelam ordinavit Sagittarios ad loca debita, applicatisque scalis ad mœnia tam grande

*Anno (d) Domini MCCLXXXIV. Honorius Papa IV. & Rudolphus Rex Romanorum regnauerunt. Hic Papa ordinem Carmelitarum, qui in Concilio Lugunensi mansit suspensus, confirmavit; & Carmelitarum mantellos scarratos mutaverunt in Cappas albas.*

*Hoc etiam tempore promotus est Ordo Augustinensis, quantum ad Magistros Parrisiis.*

*Eodem tempore floruit Magister Egidius Ordinis Augustini Doctor Magnus, qui postea à Bonifacio Papa VIII. factus Archiepiscopus Biterriceus, mortuus fuit Avinionis, Romana curia ibidem residente, sub Joanne Papa XXI. Anno MCCLXXXVI. Kalend. Januar.*

*& Pa.*

bellum ortum fuit inter eos, quod formidolosi talia inspicere non auderent, (b) istis viriliter impugnantibus, obsessi fortiter resisterunt, cadebantque ex utraque parte pluri- mi vulnerati. Tandem sicut DEO placuit fratres potenter intraverunt, & occisis omnibus & captis per incendium destruxerunt; Hoc facto mille viri & octingenti intraverunt territorium dicti castri vastantes quam plurimum incendio & rapinâ, & captis multis hominibus & occi-